

DE OBSESSIS.
TITVLVS OCTAVVS.
DE OBSESSIS.

CASVS I.

AN obsessis imputanda sint flagitia ab ipsis commissa?

§. 1.

Priusquam respondeatur ad propositum casum, videndum est, quanam propriè sint obsessi, & unde obsessio corporalis cognosci queat, cum hac in re facilis sit lapsus, ut pro obsessis habeantur, qui tales non sunt.

§. 2. Sciendum igitur est, non illicò pro obsessio habendum esse eum, in quo deprehenduntur convulsiones, aut stupendi corporis motus, nam hæc & similia ægrotis accidere possunt, ut scilicet habere aliquid videantur, quod in obsessis datur, cuiusmodi sunt inusitata commotiones, ut tamen obsessi non sint, & si vel maximè tales motus inusitati sint à Diabolo ex permissione DEI, tamen à Diabolo extrinsecus moventes esse possunt, ut Diabolus ipsum corpus non sit ingressus, neque tales homines obsessi sint.

§. 3. Contingit etiam interdum, ut diabolus ingrediatur corpus hominis, ut tamen homo non sit obsessus, sicut v. g. *Job. XIII. 27.* Satanus dicitur ingressus Judam Christi proditorem, qui tamen non pro obsessio habitus fuit: nihil dicam nunc de obsessione ficta, cum nonnulli simulant se esse obsessos, ut lucrum aliquod inde reportent.

§. 4. Ad obsessum igitur propriè dictum requiritur, ut diabolus quoad substantiam sit in corpore ejus, & potestatem habeat à Deo in corpus hominis, illud variis modis movendi, affligendi, torquendi &c.

§. 5. Difficile autem, cognoscere, an aliquis verè sit obsessus à diabolo, cum extremè Melancholici non rarò ita se gerant, ut se gere re solent obsessi, nec tamen verè obsessi sint. Experientia tamen testatur, ex signis quibusdam probabilibus obsessionem corporis fuisse cognitam, cuiusmodi signa sunt vel antecedentia obsessionem, vel concomitantia eam.

§. 6. Ad signa antecedentia spectat 1. quod ante obsessionem diabolus apparuerit in horribili formâ, vel hirci vel canis nigri, æthiopsis,